

gesta Trevirorum integra, ed. Joh. Hugo
v. Henbach / Michael Henschel Josephus Müller 347 Her,
II, Th. 1838

CAPUT CCLXXXI.

De solempni convivio, quod Carolus dux Burgundiae praeparavit apud sanctum Maximinum juxta Trevirim principibus invitatis, tempore hujus archiepiscopi Johannis de Balneis (a).

Anno Dominicae incarnationis millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio, una dierum in Octobri (b), dux illustrissimus Carolus de Burgundia habuit invitatos serenissimum dominum Fredericum, imperatorem Romanorum, Maximilianum, ejus filium, cum omnibus ducibus et comitibus, qui Treviris erant cum praetacto imperatore: cum hoc omnium aliorum principum ambasiatores (c) et legatos invitaverat. Praenominatus imperator circa nonam horam ante meridiem cum praenominato populo visitabat claustrum sancti Maximini. Praecessores ejus erant bene armati, et induti quoad usum militare (d): comes Everhardus de Wyrtenburch, Vitus de Rechberch, dominus Johannes Speth, et Wilhelmus de Wernaue. De post venerunt duo

„minus cum postmodum de Capituli privilegiis et praescripta consuetudine in utroque mense Praepositum eligendi informatus fuisset, a sua praetensione ultra destitit, adeo ut praedictus ab Hohenfels in quieta Praepositurae possessione usque ad diem obitus sui permanserit; quin etiam, eodem adhuc vivente, Leo Papa ejus nominis decimus privilegium Capituli de libere eligendo Praepositum in utroque mense confirmavit anno 1514.“

Alterum factum in eodem Msto, ejusdem argumenti, notatur hoc modo:

„Anno 1519. Joannes de Metzenhausen, Decanus, electus est in Praepositum Trevir. — Eodem tempore Princeps Joannes Cardinalis a Lotharingia, nuncupatus Episcopus Metensis, de et super praetacta Praepositura Trev. Apostolicam provisionem obtinuit, eandemque insinuari fecit. Verum habita informatione de specialibus Capituli privilegiis, et antiquissima, nunquam intercepta, consuetudine, Joannes a Metzenhausen electus in quieta possessione permansit.“ —

(a) i. e. Badensis. — Hic titulus non legitur ap. Honth.

(b) „De quinta post festum S. Francisci“: refert cod. ms. (monasterii S. Maximini, modo bibl. Trev., N^o. 1253. sign.), in quo hoc convivium descriptum legitur. — „Ad diem Nonarum Octobrium“: scribit Brow. op. cit. II. pag. 300.

Carolus Dux Burgundiorum, tempore conventus, mansionem in monasterio S. Maximini extra civitatem habebat.

(c) In Honth. edit.: Ambassadors.

(d) ludum militare: cod. praef. S. Maximini.

australes pariformiter (a) induti, nudis brachiis, solis clipeis ad hastiludendum. Imperator vero indutus erat tunica pretiosa deaurata fusca (b), ante pectus crucem auream (c) habens. Obviabatque ei Carolus dux Burgundiae ante portam sancti Maximini, eratque indutus tunica aurea lapidibus pretiosis et perlinis (d) intexta, in valore centum millium ducatorum. Intermedio vero praenominati sex in armis militaribus coram principibus hastiludio se ostendebant. Expedito illo descendebant hi duo principes de equis: conjunctis brachiis (e) intraverunt ecclesiam. Erat altare ornatum pretiose in praenominata ecclesia sancti Maximini. Primo quatuor scabella, et supra unoquoque scabello sex imagines, et unumquodque tale longitudinem habuit alterius dimidii brachii. De post unum scabellum duodecim Apostolorum deauratorum et argenteorum. Sexto vero scamno decem imagines aureae; in lateribus vero argenteae et deauratae, et iterum quatuor imagines argenteae et deauratae (f). Item decem cruces cum imaginibus penes imagines stantes, quarum sex sunt aureae cum lapidibus pretiosis; quatuor deauratae. Quatuor cantelabra, duo deaurata, duo vero argentea. Quatuor angeli aurei in longitudine unius brachii. Una capsula aurea, in qua erat sanctus Paulus primus Eremita, et sanctus Antonius. Unum tabernaculum cum paribus imaginibus aureum et ornatum lapidibus pretiosis. Lilium vero unum aureum cum lapidibus pretiosis; in quo lilio erat unus de clavis Christi (g),

(a) Ap. Honth.: pariter.

(b) „Induebatur imperator purpura intertexta auro“: Lalaing. epist.

(c) maxime pretiosam: addit Ms. S. Maximini.

(d) et margaritis: cod. Lind. — „Dux praeter pileum vestem gestabat ducalem.“: Lalaing. — Narratio germanica, supra nominata, dicit: „in kostlichen kleidern mit „großen edelen gesteinen, Rubin, demant vnd große perlin, daß man die cleinot, scheetzt auff „C M gulben.“ — Fragmentum aliud germanice scriptum, industria D. Pauli Wigand detectum et in Vol. I. operis: Archiv für Gesch. u. Alterthumskunde Westphalen's, 1826. pag. 126. sq. impressum, habet: „Unde hadde an enen ghulden rock myd „parlen vnde eddeleme stene ghemaket vnde ghestiket.“ —

(e) Ms. S. Maximini: conjunctis manibus.

(f) In fragmento praefato legimus: „Dar na X bylde ydel Gold, VI bylde suluers ouer „ghuldet elen lank.“ — Altera relatio germanica: „Do hett de herczog ein altar zu „gericht mit cleinoten, der hett funf staffel, die waren alle mit heiltumb besetzt. Do hat er „XVIII silber vergulte pilder, die da hoher waren dann ein elle.“

(g) Cod. ms. S. Maxim.: unus clavus trium Christi.

et de ligno sanctae Crucis. Et super hoc adamas in longitudine duorum digitorum. Pretiositas vero lilii erat ducentorum millium florenorum (a). Et tantum de altari.

De ornamentis refectorii (b).

Post missam vero praenominati principes intraverunt refectorium conventus sancti Maximini. Refectorium autem sic erat ordinatum et ornatum. Primo erat ibi trisarium decem scabellorum per modum graduum, et unumquodque scabellum in latitudine (c) erat decem et octo palmarum; ita quod se ostendebant a parte pedis usque ad testudinem. Desuper vero erant subsequencia clenodia. Primo triginta tria vascula, quorum major pars aurea, residua argentea; deinde septuaginta cantri parvi et magni, centum crateres ornati lapidibus pretiosis et margaritis. Alterum dimidium centum (d) pithgiri argentei; sex naves. Item duodecim scutellae ad lavandum manus, aureae et argenteae: sex unicornua, quorum duo ostenderunt se in longitudine trium brachiorum. Item sporta fragmentorum argentea; sex amphorae duodecim quartarum. In praesenti refectorio erant tres tabulae ornaetae, et omnia instrumenta desuper argentea: ita ut quilibet suum habuit craterem argenteum, et duo habebant unum cantrum deauratum; et refectorium circumdatum erat pannis aureis et perlinis (e).

Ordo sedendi (f).

Item in prima mensa superiori parte (g) sedebat imperator Fredericus in medio. Juxta eum a dextris Maguntinensis, Trevirensis,

(a) Vnde se ys beter den III mael C dusent gulden. Ita fragmentum.

(b) Haec verba non leguntur ap. Honth.

(c) Cod. ms. S. Maxim.: in longitudine.

(d) Ibid.: centum quinquaginta, omisso: dimidium

(e) „Concessum in coenaculum“ (scribit Arnoldus de Lalaing) „quoddam grande, ornatum aulaeis, in quibus exactissimo opere res Alexandri ejus, qui Orientem perdomuit, erant intextae. Hujus rei praecipua admiratione, qui curas studiaque sua interius norunt, ajunt ipsum“ (Carolus ducem) „teneri (†). In medio sella eminentior, gradusque quibus adibatur, subsellia quoque instrata auro.“

(f) Hic titulus deest ap. Honth.

(g) Ibid. omittitur: parte.

(†) Bernae in Helvetia asservantur quaedam Caroli Audacis aulaea (h. Gobelins dicta), in quibus res C. J. Caesaris intextae sunt.

Leodiensis, Trajectensis (a) episcopi. A latere sinistro illustrissimus princeps et dux Burgundiae Carolus, hujus solemnissimi convivii liberalissimus author, Maximilianus dux Austriae, Stephanus dux Bavariae, Ludovicus dux Bavariae. In secunda vero mensa a parte dextra sedebat episcopus Eustatensis, Carolus marckgravius de Balneis (b), Christophorus marckgravius de Balneis, ambasiator et consulatus Alberti ducis de Brandenburch, imperator Turcarum (c), Hugo comes de Muntphort (d), Joist (e), comes de Hohenzorn (f), Udalricus, comes de Muntphort, Crafft comes de Hohenloch, Adolphus comes de Nassauwe, Philippus comes de Nassauwe, dominus de Ylen magister curiae ducis Maximiliani. In altera vero mensa a latere sinistro sedebat episcopus Metensis, Everhardus comes de Schonenberch, Albertus marckgravius de Balneis, Jacobus Crafft (g) miles et legatus ducis Sigismundi de Austria, Udalricus comes de Sultz, Schaffart comes de Liningen, Otto comes de Hennenberch, Alwick comes de Sultz, Fredericus comes de Lust (h), praepositus majoris ecclesiae Trevirensis natus de Syrck, Georgius comes de Liningen, Everhardus comes de Sunnenberch (i).

Cibaria vero principum erant in primo transitu tredecim; et illos praecesserunt decem tubicines, quatuor fistulatores, et duo buccinatores; quos praecesserunt duodecim comites, induti aureis vestibus, heraldi duodecim (k). Ad secundum vero transitum duodecim dapes;

(a) Ibid.: Trajacensis.

(b) Badensis.

(c) Erat is Calepinus, Mahometis II., Turcarum Monarchae frater, qui Romae, jussu Calixti III. baptizatus, Calixtus Osmannus dictus est — Relatio germanica hoc speciale addit: „Und als man nun siczen wolt, da truck der Turckisch kaiser das wasser „vnserm herren keyser. Die kurfürsten hillten das hanttuch vnnnd das beckin.“

(d) Monfort.

(e) Jacobus.

(f) Hohenzollern.

(g) Jacob Trapp: in relatione germanica.

(h) Lost.

(i) In epistola Arn. de Lalaing haec de ordine sedendi legimus: „Consedit imperator, ad dexteram erant episcopi Moguntiacus, Trevirensis, Metensis, filius imperatoris, marchio Balnearum, post Ludovicus et Albertus duces Bavariae, comites „Montis vigilantis (Montbeliard) et Wirtebergensis, filius Thurci, et clarissimorum „virorum magnus, quantum locus capere poterat, numerus. Ex altero latere dux „Burgundiae, episcopi item Leodiensis et Trajectensis, reliquaue aulicorum nobilitas.“

(k) „Praecedebant ducem pro numero gentium quibus imperat (caduccatores nescio, an „nomenclatores dicam, vulgus Gallorum Heraldos vocat) genus hominum Galliae Ger- „manisque, et reliquis ad Occidentem nationibus usitatum: Lalaing. —

ad tertium autem transitum decem dapes. Peracto vero prandio apportabantur triginta cipi cum confectis, quorum primus ciphus est aestimatus in valore sexaginta millium florenorum. Praenominatorum hospes, ipse videlicet Carolus dux Burgundiae, sexcentos homines in curia sua habuit, qui omnes fuerunt induti aureis et argenteis vestibus, singuli juxta statum suum maxime pretiosis (a).

CAPUT CCLXXXII.

De domino Jacobo marchione de Baden, archiepiscopo Trevirensi.

Defuncto et sepulto domino archiepiscopo Johanne secundo (b), quaedam dissensio in electione novi pastoris succrevit: majori parte

(a) Trithemius noster, hujus temporis scriptor, narrat (Chron. Hirs. II. pag. 481.): „Carolus habebat secum ministeriales ex Burgundia, et aliis nationibus plures, quibus furtum et rapinam sub poena mortis interdixerat, et si quis ei furtum aut rapinam fecisse delatus fuisset, etiam in re minima, sine misericordia mox eum fecit suspendi. Hujus rei gratia, ne procul abesset supplicii furca delinquentibus, arborem nucum foris ante monasterium S. Maximini, in quo degebat, in horto cujusdam pauperis pecunia comparavit; in quam suae nationis malefactores, quotquot delati vel accusati fuissent, suspendit. Unde et suis metum incussit, et laudem sibi justitiae apud omnes Mosellanos acquisivit. Nec frustra duodecim aureis nummis dictam arborem comparavit; in qua multi successive, sicuti tunc vidimus, fuerunt suspensi pro variis criminibus.“

(b) „Annus 1503. Joanni fatalis extitit, quando nono Februarii die, in arce Ehrenbreitsteiniana supremum diem clausit, jam pene septuagenarius. Exsequiae illi Treviris institutae solemnes, sepultura humilis in occidua templi parte, sub caelato, non tamen inscripto cenotaphio.“: Masenii Epit. Annal. Trev. pag. 621. —

Trithemius (Chron. Hirs. II. pag. 595.) refert sequentia, quae quidem ex parte falsa sunt in temporis calculo, sed alia memoratu dignissima exhibent. „Anno 1503.“ (ait Mosellanus noster) „19. mensis Febr.“ (rectius: die 9.) „quae fuit Dominica sexagesimae proxime post festum S. Valentini Martyris, obiit Joannes ex marchionibus de Baden archiep. Trevirorum, anno pontificatus sui 57., aetatis vero 79.“ (hic iterum manifestus error calculi in scriptione aut impressione), „cujus corpus in majori ecclesia Trevirensi fuit sepultum in sarcophago, quem sibi fecerat in vita praeparari. Reliquit ecclesiam satis tenuem, et aere non parum gravatam alieno, cujus inopiae causam nonnulli triplicem assignarunt. Prima fuit bellum, quod cum Boppardiensibus habuit, in quo plus quam centum florenorum millia expendit. Secunda fuit nimia ejus in alienos clementia, quippe qui multis multa contulit ingratis, et qui nihil tale vel ab eo, vel ab ecclesia Trevirorum meruerunt. Ex cujus ore paucis ante obitum mensibus audivi: Nihil, inquiebat, magis